



tinencia literis mandarunt, vel obiter saltem & ὡς ἐν παρόδῳ, aliud omnino agentes, tradiderunt, vel in uno aut altero solum capite Critices, studiose & cum cura versari, reliqua longe plurima sicco præterierunt pede. Διδακτικωτάτῳ Philologo, Augusto Pfeiffero τῷ μακκρίτῃ, hæc palma debetur, ut primus, quod sciam, e nostris integram Criticæ Sacræ tractationem instituerit, quo libello nihil utilius, nihil planius, nihil in tanta quidem brevitate, doctius, orbis Christianus habet. Verum, cum & primas saltem lineas duxerit angustioris operis, Vir immortalis memoriæ, & versutissimi Adversariorum Rich. Simonius, Jo. Clericus, & qui hos duces sequuntur, longo post editam lucubrationem illam intervallo, sua in lucem protulerint portenta, facile hinc intelligitur, ipsum amplissimo post messem spicilegio locum reliquisse. Mihi itaque, impari licet magni Pfeifferi in utroque officio publico successori, in mentem venit cogitare, haud leviter demandatam me exornaturum esse provinciam, si Criticæ S. quæ quidem ad Hebræum præcipue codicem spectant, præcepta & vindicias prælectionibus publicis studiosæ Juventuti paulo enarrarem copiosius, omnemque ejus ambitum emetirer. Alter hic labitur annus, quo in hac palæstra pro virili mea desudo, concisos in calamum dictatos aphorismos, uberiori rerum verborumque apparatu elocutus. Nunc ubi legere audita gestiunt Auditores Optimi, precibus ipsorum deesse nolui, quin accedente maturiore lima, prælo demum subjiciatur, quicquid istius est opellæ, ita tamen, ut Disputationum Academicarum vicem singula subeant capita, & in erudito συμφιλολογύγων conflictu ventilentur. Cui quidem instituto ut linguis animisque faveant ii, quibus oraculorum divinorum religio curæ cordique est, & Studiosa cum primis Numinique devota Juventus, frequentia, attentione & industria sua calcar addat, qua par est observantia & humanitate, ab utrisque contendo. Quod superest, Deum O. M. callidissimis in partes voco precibus, ut Spiritus sui lumine collustratos in omnem nos veritatem ducat, & tantum operis exorsis successus prosperos largiatur! P. P.

Lipsiæ, Domin. XVI. p. Trin. A. R. S.

MDCXXI.

D. Carpz. Crit. Sacra.

B

INDEX